



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 7. De mari Carpathio & Rhodiensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

lib. 1. Tamen Strabo, lib. 14. & Plinius ab Insulâ denominatum malunt.

De huius amplitudine non levis difficultas, seu Austrum, seu Boream, siue Orientem, siue Occidentem spectaueris.

Si Orientem consideres, reperies apud Strabonis Compactorem *Asiaticum* appellari: vbi tamen nonnulli audaciores pro *Ασιανική* reponunt *Ιχθελον*: sed apud ipsum Strabonem dicitur, quod *Ἐγέο* deinceps est, & ad illud *Ἐολidem*, *Ιουίαν*, *Καρίαν*, & *Λυκίαν* affigit, quibus verbis fatis exprimitur *Icarium* mare. Verùm discretè Solinus cap. 26. *Asiaticum* nominat.

De extensione in *Boream* duas inuenio sententias. *Prima* Ptolemæi lib. 5. qui *Icarium* mare inter *Argenum* Pro. & *Pyrrham* urbem restringit, & tres insulas eluere docet *Icariam*, *Chium*, & *Samum*. *Alterâ* Strabonis, qui lib. 2. *Icarium* inchoat ab *Helleponto*.

A Meridie disiungi puto per lineam ductam ab urbe *Gnido* ad *Samonium* Pro. quod ex Strabone lib. 10. didici.

De termino Occidentali, qui *Myrtoo* Orientalis est, ita statuit Plinius lib. 4. cap. 11. *Icarium* mare dicitur, quod est inter *Samum* & *Myconum*. Sed hunc limitem magis promouet *Sophoclis* vetus *Scholiastes*, & eo *Delum* includit. Quod autem Plinius lib. 4. cap. 12. ait *Cycladas* & *Sporadas* circumfundi ab Occidente *Myrtoo*, ab Oriente *Icario*, sicut à Septentrione, & à Meridie verò *Cretico*, & *Carpathio*, tantum abest vt quæstionem soluat, quin potius confundit.

§. 7. De Mari *Carpathio*, & *Rhodiensi*.

HÆC duo maria in vnum reduximus, quoniam Strabo lib. 2. *Carpathium* protrahit μέχρι Ρόδου, apud quem, & perperam legitur ἡ Κύρως pro Καρπάθου. Meminit tamen idem Strabo *Rhody* maris, seu ἀναχύσεως Ροδίας. Plinius lib. 4. cap. 12. *Carpathium* coniungit cum *Cretico* ab Occidente, à Septentrione cum *Icario*, de aliis terminis tacet. Ptolemæus verò quamquam cap. 2. lib. 5. *Rhodiensis* maris terminos posuerit *Gnidum*, & *Caunum* in finibus *Lyciæ*, & lib. 3. cap. 17. latus Orientale *Cretæ* dixerit allui *Carpathio* mari: postea tamen vbi cap. 2. lib. 5. insulas commemorat permiscere videtur Ροδιακὸν ἡ Καρπάθιον. Item Strabo oblitus eorū quæ dixerat lib. 2. malè lib. 10. insulam *Co* in mari *Carpathio* locat.